



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Deum in nobis esse, nosq[ue] in Deo per quænam indicia probetur:
charitas Dei vt̃ in nobis probetur per fraternum amorem: mala item
quanta inuidia ac odium in nos congerant. Epist. LV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

Deum in nobis esse, nosq; in Deo per quam indicia probetur: charitas Dei vti in nobis probetur per fraternum amorem: mala item quanta invidentia ac odium in nos congerant.

Epistola LV.

F. IOANNES IVSTVS LANSPERGIVS, CARTHVS. charissimæ filiz N. Dei proximique charitatem in corde iugiter ardere.

Charissima filia, valde sollicitè curandum tibi, nobisque omnibus est, ne aliquid, siue Dei, siue proximi charitati aduersum intra nos recipiamus. Pellendus est omnis rancor, omnis amaritudo, & erga omnes sincera charitas retinenda, vt & nos Deum in nobis semper retineamus. Deus est in nobis, si charitas eius est in nobis. Nam vt Ioannes dicit: *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Charitas autem gemina est, scilicet, Dei & proximi. Charitas Dei in nobis est, si præcepta eius obseruamus. Vnde Dominus ait in Euangelio: *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me.* Porro charitas proximi in nobis est, si illi facimus quæ volumus fieri nobis, & non facimus ei quæ nolimus nobis fieri. Verbi gratia. Nolumus de nobis detrahi, nolumus despici, impediri aut iniuriam nobis irrogari &c. Ergo & nos non debemus detrahere, spernere, impedire, iniuriam facere. Volumus iuuari seruique nobis & excusari: velle quoque debemus argui peccata nostra: quæ quidem omnia alijs ex charitate impendere tenemur. Quisquis hanc charitatem non habet, illi illo non est Deus. Et quid prodest ei, si ieiunat, aut elemosynam dat, vel alia opera bona facit, si non habet Deum? Nam non habendo charitatem, non habet Deum. Quicumque autem odit fratrem suum, id est, christianum ex matre Ecclesia fratrem, quicumque persequitur, inuidet, nocet, non habet charitatem: & ideo si hæc tanta & tanta fecerit, nihil ei prodest, sed cum odio damnatur, quia non habet charitatem. Quid dicit Apostolus? *Si linguis hominum loquar & angelorum, & si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, & si distribuero in cibos p. superum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.*

1. Ioan. 4.
Charitas
duplex quæ
fit
Ioan. 14.
Matt. 7.

Deum non
fore in no-
bis quænam
ostendant.
1. Cor. 13.

Nihil pro-
desse curquæ
extra chari-
tatem quic-
quid habeat
ac faciat.
Ioan. 13.

Odium dæ-
mones in
nos quantum
habeant.

Ecce quisquis in odio viuit, quisquis charitatem non habet, non prodest ei quicquid aliud habet: quia charitatem solam Deus requirit, & solum quicquid in charitate sit, placet ei. Hæc est signum, quo discernuntur filij Dei à filijs diaboli. Quid dixit Dominus in cœna vltima? *In hoc cognoscent omnes quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad inuicem?* Ipse charitatem habet ad nos, & omnibus modis vult nobis benefacere, nos exaltare & æterno beatificare. Et si iam affligit nos, hoc tamen facit ex charitate: sicut bonus pater filium, vel magister discipulum, quem vult bonum habere: sic ipse Deus corripit nos vt efficiamur boni. Sic etiam vult, vt nos inuicem diligamus, beneficiamus, promoueamus, cæteraque charitatis officia exhibeamus. E contrario diabolus nos semper odit & odit, inuidet æternam beatitudinem, docet & ducit ad malum vbi que. Et si benefaciat temporaliter in delectationibus

bus &c. facit hoc ex inuidia, vt perducatur nos ad æterram miseriam: quia non blanditur nobis ex fauore, sed ex malitia, qua odit nos. Hæc est causa, hoc est signum omnium filiorum eius. Vnde potest dicere: In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si odium habueritis ad inuicem.

Itaque charissima filia mundemus corda nostra ab inuidia, ab odio, quæ corpus & animam consumunt, ossa exsiccant, quæ Deus singulariter vindicat etiam in hoc mundo. Et si quandoque dissimulat, tamen non obliuiscitur, sed tanto grauius quanto tardius vlciscitur. Si quis malè facit contra Deum vel contra proximum, & non punitur, signum est eum aded malū esse, quod indignus sit puniri & castigari ad salutem, sed seruetur ei post mortem, vbi æternam castigationem & damnationem recipiet: & ided in peccatis prosperrari, & non castigari à Deo, pessimum est signum. Quod si quis etiam resipiscit & pœnitet, deletur culpa per pœnitentiam: sed peccatum oportet castigari hic vel in futuro, licet non æternaliter.

Maximè odit & punit Deus inuidiam scilicet boni quod est peccatum in Spiritum sanctum, quando quis malus est, & inuidet alteri propter hoc quod bonus est, quod summo opere cauendum est.

Examinemus corda nostra si habeamus charitatem veraciter, Primò, si omnia quæ Deus vult, & propter Deum facimus, & cætera, si proximo nihil mali fauimus nec facimus sed bonum, habemus charitatem. Sed si præcepta transgredimur, si mala irrogamus proximo, vt placet nobis, quod alij faciunt (quod idem est) non est charitas Dei nec Deus in nobis, sed ambulamus super os inferni. Non tamen omnis amor est charitas. Nec facilè tibi peritideas filia te habere charitatem.

Nam si quem odio persequeris non potes veraciter te iudicare: quia lumè amifisti, in quo te perspicias, Quid dicit Ioannes? Qui odit fratrem suum, in tenebris est: id est, non se videt, conscientiam suam non agnoscit, peccata non reuertit, & putat sæpe se nulla peccata vel leua facere, quæ tamen grauissima sunt. Quia licet verba vel opus in se non esset grande malum vel nullum, sed tamen quia ex odio fit, graue peccatum est.

Odiū namque etiam opera bona ex se facit mala. Et qui in odio versatur præsertim inueterato, vix est emendabilis. Quia peccatum in corde est quandoque solum, & non reprehenditur, vel non aduertitur: imò putatur quandoque zelus & quandoque ex reprehensione magis inflammatur & augetur.

Signa odij sunt non libenter loqui vel conuersari cum aliquo, libenter cõfessionem, defectus eius, damna, persecutionē &c. videre vel audire: erga omnia quæ facit displicentiam habere: eos qui ipsum diligunt odire, nec possunt sufferre aliorum colloquia vel gratiam erga ipsum: libenter velle ipsum opprimere, affligere, humiliare, amaritudinem in corde sentire, & ad aspectum eius tristari, eius dolere bonis, & gaudere malis.

Hæc idcirco scripserim filia, vt caueas tibi ab insidijs diaboli, nec cor tuum vilo erga quemlibet odio vel tenuiter affici patiaris. Non dorinitat serpent tortuosus, sed modis omnibus in nobis cupit extinguere, aur certè minuere charitatem, cui resistere nos oportet, & tanto studiosius communi erga omnes dilectioni nauare operam, quanto ille studiosius id agit, vt vel erga vnum aliquem malè affecti simus, Dominus Iesus te seruet diu incolumem in suo seruitio filia mea in eodem charissima.

Malis cur hic subinde parcatur.

Inuidiam quanto peccat Deus odit ac puniat. Charitatem nos habere quinam probemus.

Ioan 1.

Odiū fratrum quæta mala efficiat.

Signa odij fraterni quæ sint.

